OPUSCULUM A CONRADO BURSIAN RECOGNITUM

Exsuperantius, Bursian




VE RI
TAS

RECTOR

VNIVERSITATIS LITTERARVM TVRICENSIS

COMMILITONIBVS

CERTAMINA ERVDITIONIS PROPOSITIS PRAEMIIS
IN ANNOS MDCCCLXVIII—LXVIIII
INDICIT

PRAEMISSVM EST

IVLI EXVPERANTI OPVSCVLVM
A CONRADO BVRSIAN RECOGNITVM

TVRICI
TYPIS ZVRCHERI ET FVRRERI
1868

Iuli Exuperanti opusculum quo bella cinilia Mario et Sulla, Lepido, Sertorio ducibus gesta breuiter et leuiter enarrantur quod denuo typis describendum curaui erunt qui mirentur, cum hunc libellum et prioribus saeculis et hoc quo nos agitamus saeculo saepius quam par est typothetarum operam exercuisse [1]) meminerint; nec deerunt fortasse qui me ciuium Turicensium ambitioni hac re obsecutum esse suspicentur, quippe qui non contenti Sanctorum Felicis et Regulae patrimonio tertium sibi adsciuerint patronum Sanctum Exuperantium cuius sanctitas sane haud satis certis constituta esse uidetur fundamentis. At totum hoc muneris est Eduardi Wölfflin collegae doctissimi mihique amicissimi qui

---

[1]) Ex editionibus operum Sallusti quae extant in quibus hic libellus historiarum fragmentis additus est mihi praesto fuerunt haece: Patauina (C. Crispi Sallustii quae extant ex optimis codicibus accuratissime castigata. Accedunt Iulius Exuperantius, Porcius Latro et fragmenta historicorum veterum. Patavii MDCCXXII. Excudebat Iosephus Cominus: in hac Exup. occupat p. 217—223), Cortiana (Caii Crispi Sallustii quae exstant item epistolae de republica ordinanda, declamatio in Ciceronem et Pseudociceronis in Sallustium nec non Iul. Exsuperantius de bellis civilibus ac Porcius Latro in Catilinam recensuit — Gottlieb Cortius. Accedunt fragmenta veterum historicorum; Constantius Felicius Durantinus de coniuratione Catilinae et index necessarius. Lipsiae MDCCXXIV: in hac Ex. legitur p. 1070—1079), Havercampiana (C. Crispi Sallustii quae exstant — accedunt Iulius Exsuperantius et Porcius Latro ut et fragmenta historicorum — cura Sigeberti Havercampi, Amstelaedami MDCCXLII: Ex. habes in Vol. II, p. 221—225), Burnoufiana (C. Crispus Sallustius ad codices Parisinos recensitus cum varietate lectionum et novis commentariis. Item Iulius Exsuperantius e codice nondum explorato emendatus curante I. L. Burnouf, Parisiis MDCCCXXI: in hac Ex. tenet p. 507—515), Gerlachianae duae, altera Basileensis (C. Crispi Salustii quae exstant, recognovit — Fr. Dor. Gerlach, Vol. I—III, Basileae MDCCCXXIII — XXXI: Ex. extat in Vol. III, p. 395—399), altera Lipsiensis (C. Crispi Salustii operum reliquiae ed. Fr. Dor. Gerlach. Editio stereotypa. Lipsiae 1856. B. Tauchnitz, in qua Ex. legitur p. 148—152). Praeterea usus sum editionibus hisce: Historiae Romanae Epitomae. Lucii Iulii Flori. C. Vell. Paterculi. Sex. Aur. Victoris. Sexti Rufi Festi. Messalae Corvini. Eutropii. Paulli Diaconi. M. Aur. Cassiodori. Iornandis et Iulii Exuperantii. Accessit Tractatus de mensuris et ponderibus. Amsterodami. Apud Ioann. Iansonium. Anno MDCXXXXVII (Ex. occupat p. 485—489). C. Sallustii Crispi Historiarum fragmenta prout Carolus Brossaeus ea collegit, disposuit, scholiisque illustravit. Iulii Exsuperantii historiarum Sallustii summarium — Lunaeburgi 1828 (in qua Ex. habes p. 113—119). Essais de traductions, par Eusèbe Salverte. Paris. Firmin Didot MDCCCXXXVIII, qui liber alterum titulum praefert hunc: Epitres de Salluste à César. — Iulius Exsuperantius Précis de l'histoire des guerres civiles etc. — De la demande du consulat ou essai sur la candidature, adressé à M. Tullius Cicéron par son frère Quintus. — Fragments du discours prononcé par Cicéron pendant sa candidature. (in quo Ex. opusculum addita uersione gallica legitur p. 76—95).

collationem codicis Parisini n. 6085 in quo solo hic libellus nobis seruatus est[1]) ea qua uti solet cura ac diligentia a se confectam mihi dono dedit, ex qua intellexi neque Burnoufium hoc codice satis accurate et Gerlachium eodem admodum neglogenter usum esse. Itaque ut tandem inter omnes constet quid in hoc codice scriptum sit, Exuperanti uerba quantum fieri potuit emendata eis quae de certaminibus litterariis a ciuibus uniuersitatis nostrae et institutis et instituendis mihi renuntianda sunt praemittenda esse duxi pauca de auctore deque ingenio libelli praefatus.

Nomen Exuperanti, simile eorum quae sunt Amantius, Constantius, Lactantius, Sperantius, Venantius, Fauentius, Florentius, Fulgentius, Gaudentius, Licentius, Prudentius, Vincentius, Viuentius alia, saeculis post Chr. n. IV et V inter homines Galliam et Italiam incolentes satis uolgare fuisse multa exempla docent. Nam inter Sanctos quos ecclesia Romana colit praeter Exuperantium ecclesiae Turicensis patronum cuius ante saeculum XIII nulla extare uidetur memoria tres sunt huius nominis uiri: S. Exuperantius episcopus Rauennas inde ab anno CCCLXXXVI usque ad annum CCCCXVIII p. Chr. n. (Acta Sanctorum Bolland. d. XXX mensis Mai, t. VII, p. 260 ss.); S. Exuperantius episcopus Comensis mortuus circa annum DXII (Acta Sanct. Boll. d. XXII mensis Iuni, t. IV, p. 243); S. Exuperantius episcopus Cingulanus in Piceno (Acta Sanct. Boll. d. XXIIII mensis Ianuar., t. II, p. 602), quibus accedit S. Exuperantia uirgo Trecis in Gallia oriunda (Acta Sanct. Boll. d. XXVI m. April., t. III, p. 423). Porro S. Hieronymus epist. 35 hortatur Exuperantium quemdam hominem militarem — quem eundem fuisse atque episcopum Rauennatem neutiquam est uerisimile — ut una cum Quintiliano fratre saeculo uale dicat ac Bethlehem in oppidum se conferat, quae epistula scripta est post annum CCCLXXXVI quo Hieronymus una cum Paulla in isto oppido sedem suam constituit. Praeterea Claudius Rutilius Namatianus in carmine quod anno urbis conditae MCLXVIIII (uid. lib. I, uu. 135 s.), hoc est post Christum natum CCCCXVI, ‚de reditu suo' composuit, lib. I, uu. 213 ss. commemorat Exuperantium Aremoricae, h. e. orae Galliae maritimae inter Ligerim et Sequanam po-

[1]) Burnouf qui se Exuperanti libellum e codice nondum explorato emendasse gloriatur, statuisse uidetur hunc codicem, quem teste catalogo olim Mazarinaeum fuisse dicit, alium esse atque codicem Pithoeanum ex quo Sylburgius, nisi fallor, primus hunc libellum edidit. At cum editio illa et quae eam secutae sunt in omnibus corruptelis prorsus conspirent cum codice Parisino, ea autem in quibus ab illo discedunt ex huius ipsius codicis scribendi ratione non satis intellecta explicari possint (ueluti quod p. 1, 24 in edd. antiquioribus legitur ex libertate, cum in cod. Paris. scriptum sit c̄ libertate), dubitari non potest quin unus idemque sit codex qui e bibliotheca Pithoeana in Mazarinaeam inlatus sit.

sitae, praefectum cuius filius Palladius cum Rutilio et generis adfinitate et amoris adfectu coniunctus tunc Romae iuris scientiae addiscendae operam dabat. Hunc Exuperantium postea praefectum praetorio Galliarum factum Flauio Victore et Flauio Castino consulibus, id est anno p. Chr. n. CCCCXXIIII, Arelate tumultu militari interfectum esse, e Prosperi Aquitani chronicis [1]) eruit Wernsdorfius (Poëtae latini minores t. V, p. I, p. 549). Denique in codicis Theodosiani lib. XIV, tit. I, § 4 extat constitutio Imperatorum Arcadi, Honori et Theodosi AAA. data VIII id. Iul. Roma Honorio A. VI et Aristaeneto Coss. (id est anno p. Chr. n. CCCCIIII) ad Exsuperantium, Iulium et ceteros decuriales. Teneremus iam Exuperantium nostrum, si haec duo nomina ad unum uirum referre liceret; sed hoc quominus faciamus impedit ordo nominum, cum per totum codicem Theodosianum ubicunque singulos uiros binis nominibus appellari uidemus, haec nomina legitimo ordine sese excipiant ita ut nomen gentile priorem, cognomen posteriorem locum obtineat [2]). Accedit quod ubi plures uiros adlocuntur Imperatores, singulos singulis nominibus appellare solent; cf. l. VII, t. 4, 18 (et ib. t. 9, 3): ‚Imperatores Valentinianus, Theodosius et Arcadius Augusti Abundantio, Stiliconi et ceteris comitibus et magistris utriusque militiae‘, et l. XVI, t. 2, 23: ‚Imperatores Valens, Gratianus et Valentinianus Augusti Artemio, Eurydico, Appio, Gerasimo et ceteris episcopis‘. Iam cum nullo modo credi possit, Imperatores si Exuperantio decuriali nomen Iulio fuisset, hoc ipso nomine collegam eius adlocutos esse, qui quin alia praeter hoc

[1]) Verba a Roncallio (Vetustiora latinorum scriptorum chronica ad mss. codices emendata — collegit D. Thomas Roncallius, Patavii MDCCLXXXVII, P. I, p. 652 s.) in textu quem uocant omissa sed in inferiore margine ex edd. Duch. et Labb. adnotata haec sunt: ‚Hoc tempore Exuperantius Pictauus praefectus praetorii Galliarum in ciuitate Arelatensi militum seditione occisus est idque apud Ioannem inultum fuit.‘

[2]) Exempla quae mihi totum codicem Theodosianum percurrenti sese obtulerunt haec sunt: Lib. II, t. 19, 1 (cf. l. XII, t. 11, 1 et l. XIIII, t. 4, 2) ad Lucrium Verinum; l. IIII, t. 12, 1 ad Iunium Rufum; l. VI, t. 4, 3 s. (cf. l. VIIII, t. 19, 1 et l. XII, t. 1, 3) ad Mecilium Hilarianum; l. VI, t. 35, 4 ad Iulium Verum; l. VIII, t. 7, 1 ad Versennium Fortunatum; ib. t. 12, 2 (cf. l. XII, t. 1, 24) Aconio Catulino; ib. t. 18, 2 Iulio Seuero; l. VIIII, t. 1, 7 Dometio Leontio; ib. t. 18, 1 ad Domitium Celsum; ib. t. 42, 1 (cf. l. XI, t. 30, 5) Petronio Probiano; l. X, t. 1, 4 (cf. l. XI, t. 19, 1) ad Dometium Dracontium; l. XI, t. 3, 1 ad Antonium Marcellinum; ib. t. 7, 7 Bibulenio Restituto; ib. t. 9, 2 ad Egnatium Faustinum; ib. t. 16, 2 ad Ulpium Flauianum; ib. t. 29, 1 (cf. t. 30, 1) ad Claudium Plotianum; ib. t. 30, 18 Anicio Iuliano; ib. t. 39, 1 Aurelio Helladio; ib. 4 Aurelio Mimenio; l. XII, t. 1. 15 ad Annium Tiberianum; ib. 17 ad Lucretium Paternum; l. XIIII, t. 4, 3 Flauio Aproniano. Ne quis autem hanc regulam uiolatam esse putet l. VIIII, t. 12, 2 ubi legimus Maximiliano Macrobio (cf. quae adnotauit ad h. l. Haenelius p. 859), uno uerbo monuisse sat erit non esse nomen gentile Macrobium.

nomina gesserit in tanta nominum abundantia qua illius saeculi homines gaudebant non potest dubitari, non possumus quin Exuperantium illum decurialem ab auctore libelli quem edimus diuersum esse statuamus. Neque magis nobis probatur eorum sententia qui hunc Iulium Exuperantium eundem esse putant atque Exuperantium Aremoricae praesidem a Rutilio Namatiano eo loco quem supra indicauimus laudatum, quam sententiam ueram esse ne Wernsdorfius quidem patronus eius acerrimus (l. c.) nobis persuasit; imo cum Palladio huius Exuperanti filio cum ipso Rutilio adfinitate coniuncto nomen Rutilio fuisse uerisimillimum sit (unde Palladium Rutilium Taurum Aemilianum auctorem librorum XIIII de re rustica in eo agnouerunt Barthius aliique), patrem quoque eius Exuperantium non Iulium sed Rutilium appellatum esse conicias.

Quae adhuc disputauimus cuncta eo redeunt, ut Iulium Exuperantium ab omnibus eis uiris quos hoc nomen gessisse nouimus diuersum esse probauerimus. Iam cum neque res in opusculo eius enarratae neque dicendi qua utitur ratio satis certum aetatis eius indicium praebeant, quippe qui in utroque prorsus e Sallustio pendeat, sciri non posse nobis fatendumst quis fuerit quandoque uixerit Iulius ille Exuperantius, nisi quod quarto fere uel quinto post Chr. n. saeculo eum uixisse conicere licet ex ipso quod gerit nomine atque ex epitomandi studio illorum fere saeculorum proprio cui hoc quoque opusculum debemus; cuius auctor quantopere solidae doctrinae expers fuerit, grandes errores in paruo hoc libello ab eo commissi satis arguunt ex quibus duos notasse sat erit: quod rogationes a P. Sulpicio Rufo tribuno plebis anno u. c. DCLXVI latas bellique primi cum Mithridate gesti initia cum clade Cimbrorum anni DCLIII artissime coniunxit (p. 2, 6 ss.) et quod G. Marium G. f. G. n. a. u. c. DCLXXII consulem cum patre G. Mario G. f. septiens consule a. u. c. DCLXVIII mortuo confudit (p. 3, 7 ss. et p. 4, 27).

Auctorem quisquis fuit in hoc libello conscribendo non suopte ingenio usum esse, sed totum pendere e Sallustio quem uno loco ipse appellauit (p. 3, 15), multo pluribus tacite compilauit, ab omnibus qui libellum uel prioribus ut aiunt labris attigerunt est intellectum; sed cum editores opusculi ad unum omnes historiarum Sallusti breuiarium quoddam illud esse statuissent, praeeunte Godofredo Bernhardy Gustauus Linker, quem iam nimium diu Germania extorrem inter Polonos et Ruthenos litteras antiquas docere dolemus, luculenter demonstrauit, Exuperantium non historiis tantum sed aliis etiam Sallusti libris, eo maxime quem de bello Iugurthino scripsit, sed nullo alterius praeter Sallustium scriptoris libro ad opusculum suum corradendum usum esse (uid. Sitzungsberichte der philosophisch-historischen Classe der kaiserlichen Akademie der Wissenschaften, Vol. XIII, Wien 1854, p. 286 ss.). Iam quo manifestius ap-

pareat, Exuperantium non modo res quas enarrat omnes e Sallusti thesauris depromsisse, sed etiam phrasin fere totam ad Sallusti exemplum conformasse — quo in negotio haud sane dextre uersatus est, cum sub pelle leonina aures asininae nonnusquam appareant — imo haud raro ipsa Sallusti uerba hic illic in peius detorta in suum usum conuertisse, ita ut totus libellus cento Sallustianus iure meritoque dici possit, eum per singulos uersus cum Sallusti libris quatenus etiam nunc fieri potest comparabimus; qua in comparatione si magnas quasdam lacunas deprehenderint lectores, meminerint uelim nobis e Sallusti historiis e quibus inde a c. 3 (p. 2, 6) sua hausit Exuperantius paruas tantummodo lacinias relictas esse; quare ex iis partibus in quibus exemplar integrum ante oculos habemus reliquas existumemus necesse est.

P. 1, l. 2—5 quae de Mari initiis dicta sunt ea non dubito quin hausta sint e Sall. Iug. c. 63, 3 sq.; quod Marium Metelli quaestorem nuncupat, cum potius legatus eius fuerit (cf. Sall. Iug. c. 46, 7 et saepius), id eiusdem neglegentiae est qua Exuperantium in Sallustio excerpendo usum esse uidemus p. 2, 2 ubi Sulla Mari legatus audit, quem quaestorem Mari fuisse e Sallustio (Iug. 95, 1) aliisque satis constat. Ex uerbis autem Exuperanti Sallustiana sunt l. 4 ‚factis fortibus‘ (cf. Catil. 59, 6; Iug. 53, 8; 85, 4; 21) et quae l. 5 legimus: ‚ut hostibus — esset‘ (cf. Iug. 7, 4); etiam id quod l. 4 s. legimus ‚se promiserat‘ eodem sensu quo ‚prominuerat‘ uel ‚excelluerat‘ (quocum Sylburgius apte comparauit Plinii n. h. XVI, 26, 107 ‚nec ulla arborum auidius se promittit‘) a Sallustio priscae ac propriae dictionis amatore haud alienum esse dixerim[1]). P. 1, l. 5—9 desumta sunt e Sall. Iug. c. 63, 1 s.; l. 9—17 e Iug. c. 73, 2 ss.; l. 18 s. e Iug. c. 84, 1; l. 19 — p. 2, 2 e Iug. c. 86 (sed uerba ‚quibus nullae opes erant‘ p. 1, 25 et ‚quia egestas haud facile habetur sine damno‘ ib. l. 27 ducta sunt e Catil. c. 37, 3, cuius loci sententiam insigni siue neglegentia siue peruersitate corrupit Exuperantius negandi particula de suo addita); p. 2, 2 e Sall. Iug. c. 95, 1; ib. l. 3 ss. e Iug. c. 114. Quae inde a p. 2, 6 de bello Mithridatico narrantur quin e Sallusti historiarum libro I hausta sint dubium non est, quamquam ex huius libri fragmentis unum tantum (n. 18 ed. Dietsch., n. 20 ed. Kritz.) huc referre licet. Quae de Sullae ‚corporis atque animi magnitudine in bello Africano probata‘ legimus p. 2, 8 s., ea e Sall. Iug. c. 95 s. ducta esse arbitror — neque enim quod statuit Linkerus (C. Sallusti Crispi historiarum prooemium, Marburgi Cattorum

[1]) Hoc scribentem me non fugit quod dixit Lachmannus ad Lucr. IV, 681: ‚animata et agentia non uidentur promitti aut se promittere‘, quod tamen num recte statuerit Vir summus ualde dubito.

MDCCCL, p. 82 s.), Sallustium statim in prooemio historiarum iterum fusius de Sullae moribus exposuisse, id colligendum esse mihi uidetur ex eis quae Augustinus scripsit in ciuit. D. II, 18 —; uerbis autem quae sunt corporis atque animi magnitudo (quae sane facili negotio mutari possunt ita ut scribatur ,corporis uis atque animi magnitudo') expressisse uidetur quod Sallustius (Iug. c. 96, 3) dixit: ,neque consilio neque manu priorem alium pati, plerosque anteuenire'; cf. etiam Catil. c. 5, 1 ,magna ui et animi et corporis' et Iug. c. 28, 5 ,multae bonaeque artes animi et corporis'. Quae deinceps de bello inter Marium et Sullam gesto narrantur (p. 2, 9 ss.), cum in his Sallusti fragmenta nos destituant, quamquam haec quoque in primo historiarum libro carptim perscripta fuisse mihi persuasumst, comparare licet cum eis quae legimus in epitoma Flori (II, 9, p. 88, 12 ss. ed. Iahn.) quem Sallusti historiis usum esse constat. Militum Valerianorum nomen (p. 2, 15) e Sallustio petitum esse docent hist. III fr. 36 D. (41 Kr.) et V fr. 10 D (14 Kr.). In singulis autem uerbis nihil est quod ab usu Sallustiano prorsus abhorreat praeter ea quae sunt ,nulla discretione' (p. 2, 24) et ,meritum dignitatis' (ib. l. 27). Tum ad p. 3, 12 ss. cf. hist. I fr. 35 D. (39 Kr.) et August. c. D. II, 18; ad l. 20 ss. cf. hist. I fr. 41 ss. D., inprimis ad l. 22 ss. hist. I fr. 48 D. (51 Kr.) § 6 et 14, ad id quod est ,largitis' (l. 25) cf. hist. I fr. 31 D. (36 Kr.), denique ad l. 26 ss. cf. hist. I fr. 51 D. (54 Kr.) et 54 D. (56 Kr.). Verba quae de Perpenna (de cuius e Sardinia in Hispaniam transitu cf. Appian. b. ciu. I, 107 qui ipse quoque haud dubie Sallusti historiis usus est) legimus p. 4, 6 ,socius et administer' desumta sunt e Sall. Iug. c. 29, 2. Porro, ut reliqua breuiter persequamur, ad p. 4, 15 ss. cf. hist. I fr. 23 D. (27 Kr.) et fr. 57 D. (28 Kr.); ad l. 30 cf. hist. I fr. 58 D. (fr. inc. 61 Kr.; uide Linker. in Actis acad. Vindob. vol. XIII, p. 288 s.); ad p. 5, 7 s. cf. hist. fr. inc. 79 D. (45 Kr.); ad l. 9 cf. hist. I fr. 28 D. (32 Kr.); ad l. 15 cf. hist. III fr. 4 D. (3 Kr.); ad l. 16 cf. Flori epit. II, 10 (p. 91, 27 ss. ed. Iahn.); postremo ad l. 17 cf. Sall. hist. IV fr. 29 D. (53 Kr.).

Restat ut paucis dicamus de codice cui uni Exuperanti libellum ad nostram usque aetatem seruatum debemus. Est is, ut iam supra diximus, inter codices latinos bibliothecae imperialis Parisiensis signatus n. 6085, scriptus saeculo XI in membranis (P [2] apud Dietschium Sallust. I, p. 4), qui praeter Sallusti Catilinam et Iugurtham continet Exuperanti opusculum (fol. 89ᵃ—93ᵃ), ex Publilii Syri sententiis excerpta (fol. 94ᵃ—96ᵃ; cf. E. Wölfflin in Philologi Vol. XXII, p. 452), denique finem Iugurthae Sallusti (fol. 96ᵃ—100ᵃ).

INCIPIT OPVSCVLVM IVLII EXSVPERANTII.

[c. 1.] Cum Lucius Metellus proconsul contra Iugurtham in Numidiam exercitum duceret, Marium ex gregariis militibus genere ignobilem set uirtute praestantem secum habuit; quem cum militibus quaestorem fecisset, ita se factis fortibus promiserat, ut hostibus terrori, Romano imperatori carus esset. Sed uictimas inmolanti numinibus in oppido Numidarum cui nomen est Vtica haruspices magna quaedam impendere Mario responderunt atque hortati sunt, ut quae uellet auderet peteretque celsiora natalibus meritisque maiora, siquidem cuncta uidebatur fauor spondere fortunae. Tunc capiendi consulatus inuasit magna cupiditas, ad quem petendum paratis suffragiis relicta prouincia Metello Romam uenit ibique de Metelli rebus loquendo corruptius ac suam extollendo uirtutem effecit animos uulgi cupidos nouitatis, in suum excitando fauorem adiuuantibus tribunis plebis; nam eo tempore inter patres ac populum studio dominationis erant excitata certamina. Ita factum est ut quasi in perniciem nobilitatis quam lacerabat iniuriis Marius nouus extolleretur honoribus. Itaque comitiis consularibus uniuersus populus qui ad eligendum conuenerat Marium consulem iussit et erepta Metello prouincia in Numidiam missus est. Sed is [c. 2.] accepto consulatu quasi spolium uictoriae superatis patribus ostentabat aperteque se eorum potentiae profitebatur aduersum. Sed cum militem nouum scriberet, primus omnium capite censos ciues infidosque atque inutiles duxit ad bellum, ut hac ratione cum publico detrimento populo gratiam redderet a quo speratos honores acceperat. Nam populus Romanus per classes diuisus erat et pro patrimonii facultate censebatur et hi omnes quibus res erant ad militiam ducebantur; diligenter enim pro uictoria laborabant qui cum libertate bona, patriam defendebant; illi autem quibus nullae opes erant capud suum quod solum possidebant censebantur et belli tempore in moenibus residebant; facile enim poterant existere proditores, quia egestas haud facile habe-

---

3. g̃gariis — 5. t̄rori — 10. paratus (sed paratis cod. teste Burnoufio): cf. Sall. Iug. 65, 5 — prouintia — 12. fort. scr. [in uulgo] in s. e. f.: cf. Sall. Iug. 73, 5 — 15. ꝗ — nouis: cor. Corte: cf. Sall. Iug. 65, 5; 73, 7 — 17. prouintia — 18. sponliū — 23. fuit censebantur, sed altera n erasa —

tur sine damno. Hos igitur Marius quibus non fuerat respublica committenda duxit ad bellum. Sed forte secum L. Syllam legatum unum de nobilibus in prouinciam duxit; atque ibi confecto feliciter bello et Iugurtha capto ad urbem rediere uictores atque statim uirtute cognita Marius in Galliam missus quae tunc Romanos fines hostili incursione uexabat.

[c. 3.] Eodem tempore Mithridates cum magnis copiis uniuersam Asiam urbesque sociorum expugnando atque uastando coepit affligere; ad quem cohercendum L. Sylla est cum exercitu destinatus cuius in Africano bello probata erat corporis atque animi magnitudo. Hoc ubi Mario compertum est, terminare quod gerebat praelium festinauit et homo infinitae cupidus gloriae non patiebatur libertatem dignitatemque Romanam alterius uirtute defendi; contusis igitur Gallis uastataque natione penitus barbarorum Romam iterum uictor intrauit. Itaque instinctu eius Sulpicius tribunus plebis legem tulit ut auferretur Syllae prouincia ac Mario daretur. Hoc Syllae ubi nuntiatum est, Murenam legatum suum prouinciae Valerianisque praefecit militibus quos infidos bellis existimabat esse ciuilibus et cum parte exercitus iniuriae dolore commotus ad extinguendam Marianam uenit factionem. Statim ut Romam uenit, resistentem sibi Sulpicium et seditiosis contionibus rempublicam disturbantem cum multis quos sibi socios adsciuerat trucidauit atque Marium ipsum machinatorem tantae contumeliae in exilium impetu detrusit armorum; atque ille, quotiens uictor, per Gallorum atque Afrorum rura quae ipse uastauerat naufragus atque egenus errauit.

[c. 4.] Dum haec aguntur Cinna et Octauius facti sunt consules, quorum Cinna de partibus Marianis fuit. Hic legem tulit, ut noui ciues qui aliqua ratione Romanam acceperant ciuitatem cum ueteribus nulla discretione suffragium ferrent. Hoc uidelicet in eorum gratiam faciebat qui Marium suffragiis suis extulerant et amplissimis honoribus decorarant. Sed haec lex iniuriosa erat in ueteres ciues qui meritum dignitatis uidebantur amittere, si cum nouis indignis in ferendo suffragio iungerentur. Ob hoc itaque Octauius collega commotus, ut seditionibus priuaretur, collegam suum Cinnam adnitentibus ueteribus ciuibus in exilium misit (armatus) munitus uidelicet copiis Syllae. Quae cum agerentur, maximus ex utrisque partibus ciuium numerus interemtus est. Expulsus igitur Cinna cum uagaretur, ad Africam ubi Marius inops erat forte peruenit; atque

1. dāpno — R. P. — 2. Sillam — 3. prouintiam — 7. sotiorum — 8. Affricano — 13. auferetur — 14. prouintia — 15. prouintiae — 18. Sulpitium — R. P. — 20. fortasse scr. aliquotiens: cf. Sall. hist. I, fr. 99 D. — 22. Octauianus — 30. id quod est armatus glossam interlinearem esse puto — 31. interemptus —

ibi communicato consilio, sollicitatis animis perditorum et de ergastulis erutis seruis exercitum confecerunt et armata ualidissima manu iuuentutis ad urbem uenerunt atque Octauium Syllae satellitem superatum necauerunt. Tunc uaria crudelitas peruagata est, ut nobilitas omnis ad fugitiuorum trucidaretur arbitrium; atque ea inmanis saeuitia Cinnae fuit, ut nec illis parceret quorum opera erat uictor effectus; et cum hac insolentia in omnis communiter baccharetur, cum haberet contiones a militibus suis occisus est. Tum Marius ne sine socio dominatum sustinere non posset, in locum [Cinnae] Carbonem sibi in septimo consulatu collegam subrogauit. Tum Sylla tanta indignatione com- [c. 5.] motus contra Marium atque Carbonem exercitum duxit et inter se ferali certamine Romani exercitus conflixere, in quo bello superatus est Marius. Tum uero Sylla uictor quicquid in urbe remanserat crudeliter persecutus est et rempublicam uindicatam non reddidit legibus, sed ipse possedit, ac se talem praebuit ut Cinnana ac Mariana quam ultum ierat dominatio quaereretur. Hinc Sallustius: bonis initiis malos euentus habuit; nam fuerunt bona [Catil. c. 11, principia quod oppressam uoluit ciuium defendere libertatem, mali euentus ut superatis dominis et ducibus saeuis grauius ipse ciuitatem quassauit qui se publicae calamitatis fore promiserat defensorem. Hic cum teneret imperium, multas leges ac iura praescripsit, multis ciuitatibus inmunitates uectigalium dedit, multos Romana ciuitate donauit. Huius acta cum conatur Lepi- [c. 6.] dus in suo consulatu subuertere, contra collegam Catulum ciuile praelium gessit et uictus est; nam congregatis iis in quorum possessiones nouos colonos de suis militibus Sylla uictor inmisit ac sibi coniunctis liberis proscriptorum, ingentem congregauit exercitum pollicendo, si uicissent, se bona patria restituturum; plebi quoque multis muneribus publice priuatimque largitis carus uidebatur ac publicae libertatis assertor. Sed in Etruriae littore commisso praelio coeperat Lepidus esse superior per armatam multitudinem quae odio rerum Syllanarum se Lepidi partibus applicarat; sed Pompeius de Gallia rediens non passus est Lepidi audaciam cum publicis detrimentis impune bacchari; nam fugientes eius copias ac se implicantes festinatione formidinis ita prostrauit, ut maiore numero priuatus in Sardiniam confugeret, ut impedito commeatu populum Romanum

2. iuuentis — 3. Sillae — 5. seuitia — 6. fort. scr. set — bacharetur — 8. *Cinnae om. (in Cinnae locum iam Sylburg. coni.) — 10. c̄tamine — 12. et R. P. — 15. Salustius — 16. pro eo quod est ut restituendum uidetur quod cum Sylburgio — 17 seuis — 22. conḡgatis hiis — 24. conḡgauit — 26. Etruri — cę perat — 29. audatiam

fatigaret inopia ac suas uires armis copiisque et omni instrumento reficeret. Atque ibi cum Triario propraetore uariis praeliis grauibusque conflixit; nam [is] sollertissime tutando prouinciam effecit, ut Lepidi consilia uana forent; undique enim prohibitus et munitionibus a ciuitatium expugnatione depulsus nequiuit cogitata perficere ac dum multa parat morbo graui oppressus et mortuus est.
[c. 7.] Cuius socius et administer Perpenna ob delictum tanti facinoris supplicium timens ex Sardinia in Hispaniam transuectus est ac se Sertorio sociauit qui tum Romanis armis quassabat imperium. Nam hic Sertorius de Marii partibus fuit; nam Norbano et Scipione consulibus cum ex Asia Sylla contra Marium atque factionem ueniret infestus, timens senatus (iram) ne malo publico certamina inter duces orirentur, statuit ut curarent consules ne respublica acciperet detrimentum. Hoc itaque senatus consulto excitati consules contra uenientem Syllam atque omnibus exitium minitantem praesidia sibi cuiusque generis parare coeperunt et duces idoneos ad quorum industriam pertineret cura bellorum; in quis elegere Sertorium. Parato ualidissimo exercitu processere et uetante Sertorio colloquia consules permiserunt inter suum et Syllae exercitum, et facta proditio est omnisque exercitus Syllae traditur. Tunc Sertorius destitutus atque omni copiarum nudatus auxilio in Etruriam confugit iram metuens Syllae ne exigeret grauem quasi de superato hoste uindictam. Erat autem Etruria fidissima partibus Marianis, quia ab ipsis Romanam quam antea non habebant acceperant ciuitatem; timentes igitur Etrusci ne benificium tantae dignitatis a Marianis acceptum Sylla reuocaret, si aduersae partes essent amputatae, penitus ad Sertorium se atque alios eiusdem factionis duces applicarunt omnia quae imperarentur sine recusatione promittentes sese facturos: itaque factum est ut rursus firmissimus XL cohortium comportaretur excercitus; nam et multi milites qui se uenienti Syllae tradiderant frustrati omnibus ad priorum ducum castra reuerterunt quae ante prodiderant. Inter haec facti sunt Marius septies et Carbo
[c. 8.] consules; tunc Sertorius de Marii potestate securus Romam uenit et omnium coepit accusare segnitiem, etiam ex multis promptissimis factis Syllae industriam uirtutemque laudare, cui nisi obuiam iretur, actum iam ac debellatum

---

2. contrario: corr. Burnouf; cf. Ascon. ad Cic. or. pro Scauro p. 6 ed. Cramer. et Heinrich. — *is om. — 3. prouintiam — 4. expuls' (m. pr.) [tde] — 6. sotius — supplitium — 10. id quod est iram delendum cum Sylburgio — 11. R. P. — 16. fuit dimiserunt, corr. m. pr. — 20. : arrianis [m] q́ — 24. *promittentes esse facturos: cf. Sall. Iug. c. 111, 3. — 26. frustrationis ad: corr. Burnouf; fortasse tamen scrib. frustrati donis — 29. cępit — 30. nisi [pariter] obuiam ci. Linker e Sall. hist. I, fr. 58 D.

foret. Tum consules principesque alii factionis tanto uerborum pondere castigati siue ut aemulum ac uehementem neglegentiae correctorem ab oculis remouerent, siue ut feroci prouinciae cuius infidelitatem timebant idoneum praeponerent ducem, misere in citeriorem Hispaniam, atque ei mandatum est ut transiens res in Gallia transalpina componeret. Sed ubi in prouinciam uenit, ita strenue sociorum animos iam deficientes atque alia cupientes in fauorem partium suarum modeste tuendo atque blandiendo perduxit, ut et carus esset et tamen ab omnibus timeretur. Sed in urbe Sylla et Marius conflixere atque in ipso certamine Marius interemtus est, Carbo perditis rebus aufugit. Tum Sertorius contusis atque deletis partibus quas sequebatur optimum consilium credens exercitum non dimittere, ne nudatus supplicia uictoribus penderet, collecta Hispaniae multitudine contra Romanum exercitum statuit dimicare: mortuo itaque Sylla hostem se publicum aperte professus est; ad quem expugnandum missi sunt Metellus atque Pompeius qui eum grauibus atque assiduis pugnis afflixere; qui tamen difficile uinceretur, nisi per coniurationem in conuiuio a suis esset occisus. Postea Pompeius Perpennam subegit, Auxumen, Cluniam, Calagurrim ciuitates deleuit et factis in Pyrenaeo tropaeis Romam regressus est.

FINIT OPVSCVLVM IVLII EXVPERANTII.

---

3. prouintiae — 5. prouintiam — 6. strenu ę sotiorum — 9. interemptus — 10. c̄missis: corr. Sylburg. cf. p. 2, 11 — seq̄batur — 11. supplitia — 16. Clunium: corr. Corte; cf. Uckert Geographia Graecorum et Romanorum II, 1, p. 455 s. — 17. Pyreneo tropheis.

In sacris anniuersariis Vniuersitatis nostrae die XXVIIII m. Aprilis huius anni primum in splendido oeco qui Vniuersitati litterarum Turicensi cum Schola polytechnica Heluetiorum communis est concelebratis Rector Vniuersitatis Magnificus de certaminibus eruditionis quibus a commilitonibus nostris et pugnatumst et pugnandum erit haec publice renuntiauit:

Ordo Iurisconsultorum qui confessionis in iudiciis publicis atque priuatis comparationem institui iusserat, duas accepit dissertationes quarum altera insignita erat his uerbis:

»Wenn sich der Most noch so absurd geberdet,
Es giebt am Ende doch 'nen guten Wein;«

alteri inscriptum erat: »Aufgeschoben ist nicht aufgehoben.« De his libellis Ordo hanc sententiam tulit:

»Die Abhandlung mit dem Motto: »Wenn sich der Most u. s. w« zerfällt in zwei Theile, von denen der erste zunächst die Frage zum Vorwurf nimmt: Was ist der Prozess? dann auf die Vergleichung der beiden Prozesse eintritt und hieran die Betrachtung des Geständnisses im gemeinen Prozess reiht. Der zweite Theil befasst sich mit der geschichtlichen Entwicklung des Geständnisses namentlich im Criminalprozess, wobei der Stellung des Geständnisses im englischen Strafverfahren die gebührende Berücksichtigung geschenkt wird.

Der Verfasser zeigt Selbständigkeit des Denkens, Freude an rechtsphilosophischer Entwicklung und Befähigung hiezu und Gewandtheit in der Darstellung.

In der Arbeit mit dem Motto: »Aufgeschoben ist nicht aufgehoben« wird das Thema auf den gemeinrechtlichen Civil- und Criminalprozess beschränkt, was für die wichtige Frage verhängnissvoll wurde, ob das Geständniss im schwurgerichtlichen Verfahren das Verdikt überflüssig mache.

Der Verfasser verräth noch den Anfänger auf dem schriftstellerischen Gebiete, ist aber nicht ohne eigene Ansichten und entwickelt, wo er in das Detail der beiden Prozesse eingeht, gute Kenntniss, namentlich des römischen Rechts.«

Decreuit igitur Ordo, ut ea quam priore loco posuimus dissertatio praemio ordinario ornaretur, alteri subseciuum tribueretur praemium. Schedulis autem publice rescissis prioris dissertationis auctor inuentus est

AEMILIVS SCHAVBERG, Turicensis, iuris studiosus;

alterius

HENRICVS GIESKER, Turicensis, iuris studiosus.

Quaestionem ab Ordine Medicorum propositam nemo soluere adgressus est.

Nouae quaestiones in annos MDCCCLXVIII — LXVIIII propositae sunt haece:

I) Ab Ordine Iurisconsultorum:

»Das foenus nauticum ist nach den Quellen des gemeinen Rechts historisch und dogmatisch zu erörtern.«

II) Ab Ordine Medicorum:

»Experimentelle und kritische Untersuchungen über Phosphorvergiftung.«

Quicunque e commilitonibus nostris ad haec argumenta pertractanda accesserint eos scripta sua addita obsignata schedula nomen scriptoris indicante uerbisque eisdem quibus scriptum insignita ante Kalendas Ianuarias anni MDCCCLXX Rectori Vniuersitatis nostrae Magnifico tradere iubemus.



